Fragmentarium

Nam et populi genio cum generalis potestas supplicatur et unusquisque gubernato-
ri proprio dependit obsequium. Ideoque dictus genius, quoniam cum quis hominum
genitus fuerit, mox eidem copulatur. Hic tutelator fidissimusque germa-
nus animos omnium mentesque custodit. Et quoniam cogitationum archana
superae adnuntiat potestati, etiam angelus poterit nuncupari. Hos
omnes greci demonas dicunt apotudemenin. Latini medioximos uo-
citarunt. Qui quidem omnes minus lucide splendentisque nature quam
illi celestes sicut conspicis apparebunt. Nec tamen ita sunt corpulenti ut ho-
minum capiantur obtutu. Hic igitur Lares hic post membrorum necem degunt anime
puriores, que plerumque si meritorum excellentia subuehantur etiam circulum
solis ac flammantia septa transiliunt. Dehinc a lunari circulo usque in ter-
ram quicquid in partes interstitum proprii partitione discernitur et ab orbe lu-
nari inter fusca medietas disparatur. Sed superior portio eos sicut con-
spicis claudit, quos hemitheos dicunt, quosque latine semones aut semi
deos conuenit memorare. Hi animas celestes gerunt sacrasque mentes atque
sub humana effigie in totius mundi commoda procreantur. Qui quidem ple-
rumque sui miraculo fidem fecere celestium, ut in ortu Herculis geminate
noctis obsequium, serpentesque idem paruus elidens iam numinis ap-
probauit. Tages sulcis emicuit et repentinum statim genitus signumque monstra-
uit. Ammon apparuit cum cornibus arietinis et uestimenti lanitio a si-
tientibus undam fontis exhibuit. Quid loquar eos qui primum mortalibus
usum rerum maioraque commoda prestiterunt, ut uitem Dionisus apud Thebas,
Osiris apud Aegiptios haustum uini usumque comperiens, frumentum
Ysis in Aegipto, Triptolemus apud Atticos docuere. Eademque Ysis lini
usum sementemque monstrauit. Communiende frugis farrisque frag-
menta Pilumno signat Italia. Adscribit Asclepio Grecia medicinam.
Alii quoque huius generis homines in diuinandi usum et presentiam peruenerunt,
ut Carmentis in Arcadia ab effuso praecinima carmine memorata. Si-
billa et Erithrea quoque Cymea et alia Phrigia. Quas non decem ut asserunt
sed duas fuisse nomine sciunt. Idest Erophilam Troiani Marmensi fi-
liam et Simmachiam Hyppotensis filiam, que Erithra progenita Cumis
est uaticinata. Sed et hac diuinandi possibilitate Amphiaraus Mopsusque
celebrati. A medietate uero aeris usque in montium terreque confinia
hemithei heroesque uersantur, qui ex eo quod eram terram ueteres di-
xere heroes nuncupati. Ibique manes idest corpori humano presules

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_215_f100r – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5221)